

D. D.
 ✓ EXERCITIUM OECONOMICUM,
 DE
PRÆROGATIVIS
FINLANDIAE
 PRÆCIPUE QUOAD
PLANTAS SPONTA-
NEAS IN BELLARIIS,
 ADHIBITAS,
 QUOD
Venia Ampl. ad Auram Acad. Reg. Facult. Phib.
 Sub PRÆSIDIO
P E T R I K A L M,
 Oeconom. PROFESS. Reg. & Ord. item
 Reg. Scient. Acad. Holmiæ MEMBRI,
Ad publicum defert examen
HENRICUS SÆJERNA / Simon. Fil.
 SATACUNDENSIS.
 V. D. M. & Collega Schol. Cath. Aboëns.
 Die XXII. Maji Anni MDCCCLVI.
 IUT Loco horisque solitis.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc,
 Finland. JACOB MERCKELL.

MAGNIFICE Dn. RECTOR
**CAROLE ABRAHAME
CLEWBERG,**


Gr. & O. O. L. L. Regiae ad Auram Acad. PROFESSOR Ordinarie, Eccl. Lundoëns. Antistes Dignissime, Vtriusque Consistorii ADSESSOR Amplissime,

MÆCENAS MAGNE.

FU β su Beati Episcopi & ProCancellarii Doct. JOH. BROWALLII, *Viri ob illustria in Regem, Patriam, Literas Ecclesiamque merita perenni Dignissimi memoria, aliud & prolixius ab aliquot retro annis perfeci tirocinium, sed publicum fieri non potuit. Ne autem expers plane publici forem testimonii, en opusculum hoc exiguum Tibi, Magnifice Dn. Rector, ceu monumentum gratitudinis & perpetuae venerationis humillime oblatum! quod ut manu excipias benigna & sereno adspicias vultu submissæ obsecro, intimo ex pectore optans, ut salvus, sospes atque incolumis quam diutissime vivas! Sit vita Tua, Magnifice Rector, in terris jucunda, in cœlis gloriosa! Floreat ætas Tua perlæta sicut arbor plantata juxta rivos aquarum, que fructum suum dat in tempore suo & folium ejus non decidit! Habeat sub Sacri Tui Muneris umbra Ecclesia Tutelam, Academia Decus, Illustris Familia Columen & Clientes Patrocinium Longævum!*

MAGNIFICI NOMINIS TUI

Servus humillimus,
HENR. GEJERNA / Sim. Fil.



PRÆFATIO.

Ariſſima hæc noſtra Patria Finlandia ja-
cet inter 60. & 68. gr. Latitudinis Borealis,
& tertiam circiter conſtituit Regni Sueciæ
partem, a qua prope diſtat 40. milliaria ver-
ſus Orientem eo angulo, quo mare Balti-
cum diſpēſcit in ſinum Botnicum & ſinum Finnicum. Fi-
guram habet fere triangularem baſi Aequatori parallelæ, &
contermina eft Russiae verſus orientem, ſinui Finnicō ver-
ſus meridiem, ſinui Botnico verſus occidentem, Lapponiæ
verſus Aquilonem. Longitudo ejus a meridie ad ſepten-
trionem ducta recta linea 84. milliaria Svecica conti-
net; Latitudo autem ab occidente ad orientem valde in-
æqualis, major enim verſus meridiem, inde autem continuo
decreſcit latitudo verſus polum. Ad calculum Cl. Tusel-
dii conſtat hujuſ Regionis area 3000 quadratis milliari-
bus Svecicis; atque ſic arida & frugifera terra 53571428,
tonnarum foret capax; fed in Finlandia ſunt tantum 30000,
portiones viriles, unde cuique 1785, tonnarum area &
ſata terra poſſet determinari, cujuſ cultura neceſſe requi-
reret 100 operarios, & ſic 3. millions operariorum apte
ſe hic alere & ſibi ſatis proſpicere poſſent, ſi modo habi-
tata, exculta & pluribus auēta oppidis eſſet hæc Regio;
nam Anglia, quæ $\frac{1}{3}$ minor eſt Finlandia, & natura vix

A

fœcun-

fœcundior, continet 7. (si non plures) millions hominum, cum in Finlandia vix una est millio. Antiquissimis & fortassis proximis a diluvio temporibus hæc Regio inhabitari coepta est; initio quidem, aucto incolarum numero, propriis Regibus & Legibus obedivit, postea vero alternatim suis & Sveciæ Regibus Agne & Erico Emundson parere coacta, donec tandem ab Erico Sancto Anno 1155, imperio Svecanico fuit subiecta, & opera Episcopi Upsaliensis S. Henrici ad Christianam Religionem conversa; Tavastia autem Anno 1249 a Regis Erici XI. affine Pro-Rege Birgero Jarl Sveciæ Coronæ adjecta & ad Christianismum perducta; Carelia deinde 44. annos post Tavastiam a Regni Mareschallo Torkillo Knutson Sveco dominio addita est, confr. Cl. Tuneldii Geographia Patriæ. Vetustissima hæc gens, si eandem, ut quidam volunt, cum Svecis habet originem, sic pari quoque jure gens Scythica, Amazonica, Hyperborea, Atlantica & Gothica est appellanda. Inquo subinde fatorum ordini hæc pars orbis Sviogothici fuit obnoxia: nunc enim a bellona, nunc a peste, nunc ab annonæ caritate & variis tam hominum quam pecorum morbis epidemicis, cæterisque fatalis fortunæ plagis vexata. Præterea ingens semper apud exterros fuit numerus, qui perperam de Boreali hac plaga censuit, horrendæ cœli inclemenciacæ, intensissimi frigoris, vastitatis & sterilitatis, incolas vero sub crassiori & pingvi aëre natos stupiditatis summæ incusavit: tales erant Cornel. Tacitus, Jul. Cæsar Scaligerus, Petr. Parvus Rosefontanus, Puffendorfius, Heumannus, Xaverius de la Sante, Car. Ogerius, &c. ut perbelle Cl. Renmark notavit in sua dissert. de præstantia orbis Sviogothici. Verum non exteri tantum, sed fuit quoque & etiamnum est forte indigenarum numerus haud exiguus, qui sine caussa ex mera ignorantia injuste de sua judicat Patria, licet hic nihil præ-

præter paludes & impeditam plerumque per flumina navigationem natura sit vitiosum, & posset fieri, ut etiam hævi machinis & arte mechanica passim emendarentur. Sed mittimus nugas adversus Patriam fictas, quippe quæ dum a viris meliora edocatis & a partium studio alienis justam tulerunt retorsionem, & breviter particulam tantum prærogativarum, quibus a benigna natura est exornata, pensitemus. Non nova aliqua historia, sed selectissima tantum argumenta ex peritissimorum virorum scriptis Patriæ applicata & in ipsa natura atque experientia fundata pro vindicanda Finlandiæ gloria Tibi, B. L. fistuntur: Sis bonus interpres & innocuis fave conatibus.

§. I.

PRærogativarum minime spernendarum exfortes nos non reliquit Sapientissimus atque benignissimus naturæ Arbitr̄, sed possumus in pluribus cum exteris de principatu contendere: nam, quæso, quæ fuit cauſsa, quæ allexit primos homines ad hanc partem Septentrionis, & quæ posteros eorum usque ad hæc tempora millionario numero auctos hic detinuit, nisi amoenitas loci, salubritas cœli & fertilitas terræ? Sed ut ordine cuncta persequamur, Florent apud nos, 1. Leges saluberrimæ, Religio vera, justissima Regiminis Forma & Litterarum studia, quæ cuncta, ubi sanæ Rationis & Revelationis principiis rite superstruuntur, fundamentum felicitatis Reipublicæ consti-
tuunt solidissimum: hæc omnia penes nos sunt evidentissima, sed apud exteris plerosque perversissima, & saepe cum summa conjuncta barbarie. 2. Vigent apud nos variæ artes mechanicæ, architectura, fabricæ, opificia, officinæ, fodinæ, navigatio & commercia. Est hic locus campusque vastissimus ac amoenissimus culturæ Sylvarum, hor-
torum, agrorum & pratorum, rei item pecuariæ, vena-
tioni,

tioni, aucupio, & loca pescaturæ maxime idonea, si modo debita horum singulorum agetur cura. 3. Quid nobis mortalibus utilius & jucundius esse potest, quam statas habere temporum vices; in locis Zonæ temperatæ, (de qua sibi gratulatur Fenningia,) 4. Anni tempora fere semper sunt æqualia; contra in locis Zonarum torridarum vel frigidarum 4:0 Subiacet nostra Regio climati saluberrimo; contra autem incolæ sub Zona torrida a ventis subitaneis, æstu solis servidissimo, turbinibus concitatissimis, imbribus, procellis, terræ motibus, pestilentia, febribus, scabie aliisque innumeris morborum generibus perpetuo fere infestantur, sed horum malorum nostra plaga expers est, vel saltem sunt apud nos rarissima: ideo Plinius ventum Borealem saluberrimum, australem vero noxium vocat; hæc quoque vera est cauſsa, cur populus Septentrionalis aliis longe firmior, robustior, & validior sit, multique ad 100, imo ultro ducentesimum vitam produixerint, ut Rudbeckius in suæ Aalant: T. 1. p. 421. de quodam Tore Uffsonio narrat, qui seculo proxime præterlapso usque ad annum ætatis 260. pervenisse perhibetur. Præclare de hac re differit Nobiliss. Archiat: Linnæus in Litteris ad Clariss. Dominum C. Renmack datis, quæ dissertationi hujus eruditæ de Præstantia orbis Svio Goth. p. 1. ab initio infertuntur: Jag wet, inquit, intet om vår kold in emot Norra Polen är svårare än deras hetta lika när Linneen; ty man hör här ganska sållan någon dd af kold, och man ser Lapparna under sifliva starrbraket följa sina Nenar natt och dag utan att få frost i minsta tå: utom detta kan kolden låt hämmas med goda fällar och pålsar, med varma kamrar och stadig focus, ty wi hafwom på skog godt förråd; men hettan är intet så lätt at förekomma uti et varmt land. Kolden skadar os intte, utan hon gör os prompte, och muntrare; hvarföre wi din vintrarne altid äro qwickare, än om sommaren; ja hon gör

giör och våra Kroppar, som går utur varma Kamrarna in i kalla luften, mer hårdade och fastare, at emotstå arbete och sjuksdomar: deremot åro de, som ligga sub æquatore, af hetta lösuhullade, swage, late och tröga: i Ægypten förs ingen Mensuistia kläckan 2. om dagen stiga ut på gatan; och om han där uppehåller sig et par minuter, blifwa fötterna förbrände. Ormus mäste folket halfrwa dagen ligga i stora fat med vatn, om de eliest skola kunna lefva för hetta. Våra kalla vintrar giör os det nöje, som aldrig Söderländningarnas hetska kan gifva dem, ty då deras mark står bar och förbränd, är vår betäckt med frithvit snö, som skimrar emot dagen, som wore han beströdd med det klaraste Dermant pulfver. Vi winna en stark och frödig kropp, då Söderländningarna få en smärt, mager och uttröttad kropp, och vi råkna så många so. Åriga, ja 100:de åriga gubbär, som någonsin Söderländningarna. 5:0 Aquæ & acidulæ apud nos sunt saluberrimæ, sed in locis meridionalibus perplurimæ earum noxiæ & venenosæ sunt. Aquæ nostræ, quam primum erumpunt, subtilissimo & adeo penetrabili spiritu & Mercurio natura gaudent, qui præterquam quod saluberrimus sit, sympathiam etiam magnam cum spiritibus nostris vitalibus servat, quæ omnem naturam eximum in modum confortant, uti dicit Generosiss. Urban Hierne, Wattnet, som hos dem, nemligent Söderländningarna, blifver hett, ruttigt och skadeligit, blifver hos os klart och fristt testatur I. c. Nobiliss. Archiat. Linnaeus. 6:0 Quam utiles sint frigoris & caloris mutationes, vix potest dici; corpora enim, quæ frigore obrigescunt & torpescunt, calor refuscitat ad vitam. Tempus hyemale humano generi aptissimum ad itinera per lacus & flumina densissima glacie constricta facienda; præcipue mercatoribus ad Lappmarchias per silvas & devia tempore æstivo aditus est præclusus, sed hieme quotannis Lappones propter sua commercia commode & celerrime

possunt adire: idcirco dicit Rudbeckius, Ja man kan här om vintertiden med största nytt och lust resa dag och natt öfver land, sidar och strömar, där man i andra Länder, såsom Tyskland, Frankrike, Spanien, Italien &c. måste resa i största mörker, orenlighet och i en osund dimba och luft. Idem confirmat I. c. Nobilis. Archiat Linnæus: då året, inquit, står hos Söderländningarna med slask och ohyggesliget väder, samt diupa vågar, funna vi löpa och åka på våra Crystall isar öfver alla sidor och kiärr. Vår kold rånsar jorden och giör henne frisk; då hon blifver så skadelig i Gvinea, at den där ligger en natt ute, antingen får upstiga med et halft slag, och en i alla tider förderfvad kropp, eller dock aldrig mer uppvakna. Då Söderländningarna ligga omgivna med et tiokt mörcker om näätterna, åro deremot våra näätter uplysta af den hvita snöen, och af Casmata, som speila hvat winter natt med 1000:de slags Comedier, ju längre i norden ju mer, och här uplysa Horizonten; utom det at stiernorna här glimma både större och klarare. Här til kommer den behagelige sommartiden, på hvilken Solen knapt visker ifrån os om näätterna, utan gifver en stadig dag, hvilket giör at foglarna öfvergifsiva de Södra Länder, och årligen segla til os, at här bygga och bo, och här utsläcka sina ungar. 7:o Qvantus sit glaciei & frigoris hyberni usus in piscatura exercenda & ad conservanda plantarum & arborum femina & radices, nec non carnes recentes & pisces tunc temporis captos, res est omnibus notissima. Sed nivis præcipuus usus est in conservandis herbarum feminibus & radicibus, quarum per hiemem plumea quasi culcitra est adversus inimicam sibi frigoris vim, ut Celeber. Philosophiaæ Burgund. auctor iudicavit. Fovet ergo nix terram hieme femina continentem, quia claudit ejus poros, ne onmis vis caloris dissipetur & penitus evanescat, uti dicit Cl. Remarck. Item Rudbeckius: Ja snön giör här

Här det gagnet, at många örter, som hit af fremmande Land
dro införde, håller snöen varme uti jorden, där de uti Tyske-
land, Holland och Franckrike af en torr föld förderfas.
Hwem skulle af alla våra Förfåder tro, der de upstego, at
under den 60. grad af Norstiernans högd, skulle Pomeran-
zer, Citroner, Laurus, Myrtus, Ficus Indica &c. funna
en gång växa, och här blommas: Ja at här på en ort, så
mång 1000. slags örter af hela Werlden samlade, funna ges
nom naturen och konsten bewaras och förkofras. Nec non
Nobilis Archiat. Linnæus: Hos os växa mer Arbores och
Plantæ sempervirentes, som med sina gröna löf gitwa et
artigt spectakel på den hvita snöen, utom vänings rum för
våra diur och foglar, ty de måste tråd i skogarna åro Tall,
Gran, Id, Ene, Liung, Kräkeris, Miblonris, Andromeda, Py-
rola, Musci, Lingon, som alla åro sempervirentes: och de
träden, som mista sina löf, få utaf földen liksom nya Cry-
stal-löf, utom det at de fläste tråd hos os på sina stammar
och grenar åro ötvärtäckte och bepryddte med flera slags
Lichenes, än på någon annor ort af de södre. Snöen och
mossan bewarar hos os de frön, rötter och fråk, som i den
hafiva sitt wintensläger, at földen föga kan skada dem; hvar-
af skedi, at at wi funnat up råkna mid paß 1200. (imo 1300.
uti ex editione novissima Flora Svec. patescit) distinctæ
species plantarum sponte nascentium, utan til at uptaga
varieteter, hvilket antal af örter ingen ännu wijst i de var-
ma Länden och på lika stor tract. Och innom vårt Nordiska
Land hafwom wi redan 1000. slags differentie insechter utmärk-
te, som här bygga och bo, hvilket antal intet annat Rike i
werlden ännu funnat upvisa. Ut i fiskar åro wi intet sams-
re än utländningarna. Foglar åro här i Sverige öfver
200:de slag, och sidfogel ses så ömnog i de stora Norrlands
floder, at de under sin afmarche om höstetiden täcka vatnet,
och på hela 14. dagarna knapt funna sluta sin tropp under
höft

bortfarten: ålivent så om våren ser mätt luftet upfyld med
 deß armer som segla i wådret åt Norden uti sina regulaire
 divisioner. 8:o In locis Australibus hospitantur ferocissimæ
 bestiæ, & animalia, utpote Leones, Pardales, Tigrides, Apri,
 Squali, Crocodyli, Viperæ caudisonæ, Aspides, Cobra de
 Capello, Hæmorhoi, Chersæ, Hiritinandeles, Bruchi,
 Monoculi, Acori, Tarantulæ, Scorpiones, &c. Sed ho-
 rum fere omnium ignara est Septentrio, & si quæ sunt, illa
 aut non nociva, aut saltem quorum virus aut noxa & faci-
 le evitari & curari potest. In India orientali serpentis
 genus adeo immane, ut cauda cingendo arborem corpore
 bovem nares hujus claudens suffocet, cruraque bovis in-
 terdum sic frangat, ut fragor ossium comminutorum ad di-
 stantiam jactus tormenti bellici majoris exaudiatur, gra-
 vidam quoque feminam vivam semel devorasse refert Rud-
 beckius in sua Atlantica. In America Septentrionali va-
 ria vaferrima serpentum sunt genera, uti viperæ nigræ,
 viperæ viridis dictæ, illa circumcingens se collo suffocat
 vel strangulat hominem, hæc arbori adstantium ora pun-
 git; Vipera caudisona sæpe uno iætu necat. Dignissima
 sunt verca Nobilisf. Archiatri Linnæi loco sæpius citato:
 Men här emot hafwom iwi sluppst de monga dödeliga ormar,
 som ligga i Söderländningarnas buskar, sâsom Aspider, Co-
 bræ, Skallerormar, Amphisbæner, Hæmorher &c. och
 Hafwom icke mer än en enda giftig orm, som doch ganska
 sällan stadar. Vi behöfwoom inte frukta i skogen för de glup-
 ska Lejon, och de ouniwikeliga Tigrar, ei heller vid kärren
 för de slukande Crocodiler, ei heller på åkrarna för de säs-
 delige Tarantler, ei heller i husen för de smartfulle Scolo-
 pendræ, ei heller i Sångarna för de giftige Scorpioner, för
 hvilckä alla Söderländningarna aldrig funna gjöra sig säkra.
 9:o Fatemur Meridionales terra marique multarum rerum
 affluentia nos superare, sed possemus iis omnibus, exce-
 pto

pto sale, facile carere, si nostris essemus contenti ; natura
 enim larga manu dedit nobis, quibus non modo utimur ad
 necessitatem, verum fruimur quoque ad voluptatem. Per-
 plurimas arbores & herbas hic vigescere, vegetari & pro-
 pagari posse docuit experientia : Sed contra multæ e no-
 stris, quæ exteris sunt in deliciis, impatiētes sunt clima-
 tum meridionalium, e. gr. Vaccinium (Myrtillus) Blåbär ;
 Vaccinum (Vitis Idæa) Lingon : Vaccinium (Oxycoccus)
 Tranbär ; Rubus idæus , Hallon ; Rubus arcticus , Åkerbär ;
 L. Witikon ; Rubus Chamæmorus , Hjortron , aliæque. Non
 sine fructu & singulari animi delectatione & voluptate legi
 possunt Verba Nobilissimi Archiatri Linnæi : Det är wiſt,
 at Söderländningarna hafwa flere slags härliga frukter än
 vi, men så ſlappa och vi deremot betala dem så dyrt, ſom
 de ofta måste giöra med fitt kåra lif ; Vi hafwoom och våra
 i tilräckelig myckenhet, ſåsom Hjortron, Hallon, Biörnbär,
 Hvita, röda och ſvarta Binbär, ja, Måbär, Jungfrubär,
 Lingon, Tranbär, Midlon, Berberis, Korpbär Smultron,
 Kräkebär, Hönsebär, frusbär, Nyupon, Kierfxbär, Plommon,
 Äpplen, och Päron, Oxel, Hågg, Stärkebär, Enebär och
 Åkerbär ic. hvilka i ſmak och luft täfla med utländningarnas
 ſkönaste frukter. Få vi och intet åta så många slags grö-
 na saker, ſom utländningarna, så hafwoom vi doch bättre förråd
 på kött och willbråd, af Harar, Renar, Hjortar, Orrar, Kiadrat,
 Snöriper, Snäpper, Siöfogel, Hjerpär ic. köttet kan längre och
 lättare hos oss conſerveras; köttet giör oss mer gilla än våxterna ;
 och vi tålom bättre köttmaten i vårt kalla Climat, än de i fitt
 varma, ei heller wete vi af så många ſadeliga våxter, ſom Sö-
 derländningarna. Söderländningarna hafwa ſina härliga winer,
 men töras mycket litet nyttia dem, at de icke måge stanna
 i hetziga febrar, och vi wetom litet af Podager, ſom af
 deras drickar förorsakas, deremot våra ſkona öhler föda och
 upfriska oss, utan at lämna i vår Kropp, sådana farliga fo-
 ster.

ster. Experientia insuper docuit vinum præstantissimum & saluberrimum a nostris Ribibus, Prunis, Cerasis, Vacciniis, Rubis cæterisque baccis, fructibus & Vegetabilibus posse parari, ut neque sic indigeremus peregrinis hue quotannis multa copia & magno pretio asportatis, naturæque & sanitati nostræ nocentibus vel saltem minus utilibus vinis.

§. II.

Sed jam proprius ad regnum vegetabile progrediamur. Ex hoc tot ad patriam nostram adfluunt prærogativæ, ut vix alia regio de majoribus & pluribus sibi gratulari queat. Sic Quercus nostra illis, quæ apud australiores crescunt, longe palmam præripit. Pino nostræ, unde tot in patriam per commercia redundant fructus, & quæ vastissimas sylvas sæpe constituit, sterilissimum & macerrimum solum, ubi vix ulla alia vegetabilia provenire possunt, tribuit benignissimus Naturæ Paren. Sed longum foret, nec nostri est instituti, utilitates 'omnes plantarum spontanearum Patriæ recensere. Fecerunt id alii. Particula tantum ejus a nobis hac occasione tangenda erit; ad objectiones scilicet illorum respondendo, qui terris australioribus innumeratos atque suavissimos fructus in bellariis adhibitos tribuunt, nostræ autem terræ fere omnes ejusmodi plantas denegant. Non tamen omnes nostræ plantæ spontaneæ, quæ ad tales usus adhiberi possunt, a nobis enumerandæ sunt, sed solum nonnullæ e præstantissimis; unde quisque facile videbit, nec regiones nostras septentrionales etiam hac in re minoribus naturæ donis cumulatas esse, ac australes.

Sunt vero inter Plantas præstantissimas juxta ordinem in Flora svecica sequentes: *Festuca* (fluitans) panicula ramosa erecta, spiculis subfessilibus teretibus muticis. Linn. flor. suec. 95. (90) obs. prior numerus editionem Floræ hujus novissinam indigitat, posterior autem sive in parenthesi () primam seu anni 1745. quod in sequentibus etiam ob.

observandum. Gr. aquaticum fluitans, multiplici spica. C. B. Svecis Svinsvingel, Scanis Mannagräs. Crescit apud nos ubique in fossis & locis humidioribus limo repletis, & quidem copiosius, quam in ulla alia regione. Usus œcon. Semina hujus quotannis e Polonia transferuntur in Borussiam, Germaniam & quandoque in Sveciam sub titulo Mannagryn venalia, quæ ob saporem dulcissimum & vim nutriendi singularem eminentioribus sunt in deliciis. Colliguntur autem semina post solstitium & toto mense Julio quotidie mature, cum aqua roralis adhuc terræ inhæret, vel post pluviam quavis hora cibris, siccantur insolata super linteo, modeste tunduntur pistillis ligneis in mortario ligneo pugillo farruginis supposito; contunduntur iterum accuratius, cibrantur & vannantur, donec atricolores folliculos & paleas penitus exuant, & luteum colorem induant. E seminibus his sic præparatis, lacti immixtis, atque 2. $\frac{1}{2}$ hora una coctis paratur optimum pulmentum aut juscum ejusdem fere sapotis, ac ejus, quod Sagowälling nuncupatur. vid. Linnæi it. Scan. p. 349. & Lœf. flor. Pruss. 108. Ab his seminibus ulterius molitis fiunt panes & placentæ sicut a simila. Reliquum eumque multiplicem hujus plantæ usum in Oeconomicis brevitatis caufsa omittimus: quod etiam de sequentibus observandum est.

Ribes (rubrum) inerme, floribus planiusculis, racemis pendulis Linn. flor. Svec. 205. (197.) Grossularia multiplici acino, sive non spinosa hortensis rubra, sive Ribes officinarum. C. B. Ribes vulgare acidum rubrum. J. B. Svec. Winbär. Fennis Winamarja. Habitat in Lappmarchia, & passim in Sveciæ provinciis, licet rarius; copiosissime prope Tornoam, in maritimis Ostrobothniæ, insulis quoq; Finlandiæ & sylvis passim. Colitur etiam in hortis ob fructus præstantiam, in quibus abunde crescit. Usus Oec. Baccæ comeduntur crudæ; in jusculis. Ex his gelatinæ variae, cupediæ, clibanitæ, condimenta,

acetum: affervantur præterea integræ; Vinum quoque pala-
to, nec minus ventriculo gratum ex his paratur optimum,
idque multis modis, quorum reliquis fere præstat, qui ha-
betur tam in Linn. it. Scan. p. 401. quam in Lib. Bar.
Härlemanni itin. anni 1750. p. 71. nec non in novellis
Litt. Salvii Anni 1752. N. 30. Præterea hæ baccæ sunt
communia & lautissima secundarum mentarum fercula. Obs.
Planta hæc septent. omnibus fere modis facillime propaga-
tur. Huic speciei simillima & naturalissima est *Ribes alba*,
differt tantum colore fructus, qui albus est, & sapore,
quo dulcedine fere omnibus antecellit Ribibus. Svecis
hwita winbär, Fennis walkiat winamarjat. Hæc sylvestris
non est, quantum novimus, sed in hortis facillime colitur.
Usus idem ac *Ribis rubri*. Hujus baccæ eduntur crudæ
avidissime & lubentius, quam aliorum Ribium.

Ribes (nigrum) inerme, floribus oblongis, racemis
pilosis. Linn. flor. Svec. 207. (196.) Grossularia non spi-
nosa, fructu nigro. C. B Svecis Swarta winbär. Helsingis
& Ostrobotniensibus Tiftron. Fennis mustat winamarjat.
Habitat in desertis Lapponiæ sylvestris Tornoënsis, in
maritimis Tornoënsibus, Ostrobotnicis, Helsingicis, Rosla-
gicis, etiam in Finlandiæ insulis passim, in sylvis rarissi-
me, in hortis autem facillime, in quibus fæpissime planta-
tur ob fructus præstantiam & saporem. Usus Oec. Baccæ
crudæ, maturæ, sapidæ & edules; ex his quoque jura ge-
lata & syrupi adornantur, qui communiter in mensis secun-
dis ob dulcissimum saporem & salubritatem adhibentur.
Obs. Hæc species vulgatissima est, omnium tamen optime
in Norlandia viget.

Ribes (uva crispa,) ramis aculeatis, baccis glabris,
pedicellis bractea monophylla. Linn. flor. Svec. 208.
(195.) Grossularia, simplici acino vel spinosa sylvestris. C.
B. Uplandis Krusbär, Smolandis stickelbär, Fennis Pistä-
wät

wāt marjat. Sponte nascitur in Svēciæ provinciis. In Finlandia sylvestris rara, sed in hortis sativa uberrime crescit. Amat frigidos tractus, teste Rajo, nec ullum frigus reformidat: in Gallia Narbonensi, Italia, reliquaque calidioribus regionibus minus frequens, nec nisi in hortis fere reperitur; per totam Helvetiam in sepibus vulgatissima. In Sicilia studiose in hortis colitur & pro planta rara Rajo ostensa fuit. Uſus Oec. Baccæ crudæ & maturæ eduntur avide; immaturæ autem coquuntur in jura gelata, quæ Saccharo condita & sine & cum assaturis eduntur cupidissime, possuntque diu asservari integræ & incolumes in vasibus ab aëre vacuis & puris, præcipue tamen vasibus vitreis in cibano vel aqua servida calefactis & postea bene occlusis. Placentæ omnium delicatissimæ, quas Tortas, Pudding &c. vocant, ex his sunt. Vinum etiam præstantissimum ex iis paratur. Hi fructus præterea variis modis in cibis adornandis usurpantur, certantque dulcedine ac utilitate cum uvis viniferis.

Berberis (vulgaris) pedunculis racemosis. Linn. flor. Svec. 311. (290.) *Berberis dumetorum* C. B. Svecis Berberis. Fennis Parberi. Habitat passim in sylvis Uplandiæ & Finlandiæ.

Ujus Oec. Ex hujs acidis baccis sunt delicatissima jura gelata, salgama, aceta, & optima gelatina (geleé). Succus harum baccarum in mortario ligneo vel alio vase contritarum extorsus aut pressus per rude linteum in paratura potus Polupuntziæ (pounche) pro citreo liquore potest usurpari. Vid. Act. sc. Acad. Holmiæ A:o 1749. p. 66. Dn. Ammiralis Ancarcrona.

Vaccinium (Myrtillus) caule angulato, pedunculis unifloris, foliis ovatis, serratis, deciduis. Linn. flor. Svec. 333. (313.) *vitis Idæa*, foliis oblongis crenatis, fructu nigricante C. B. Svecis Blåbär. Fennis Musticca. Habitat

in sylvis antiquis, humidiusculis, ut nulla frequentior planta in plerisque regionibus. Usus Oec. Baccæ grati saporis magna copia in nostris sylvis leguntur & recentes eduntur; siccatae autem super assulis in furno, vel calefactæ in fartagine cum aqua modica placentulis interpositæ, aut percolatae colo, ex succo cocto cum farina Orizæ paratur offa purpurea (röd bianque). Siccatae farturis & gelatinis inserviunt. Vinum etiam ex his parant nonnulli.

Vaccinium (*Vitis Idæa*) racemis terminalibus nutantibus, foliis obovatis revolutis integerrimis subtus punctatis. Linn. flor. Svec. 334. (314.) *vitis idæa*, foliis subrotundis non crenatis, baccis rubris. C. B. Svecis Lingon. Fennis Puola. Habitat in Sylvarum collibus & fabulosis ubique. Usus Oecon. Baccæ in acetariis per Sveciam & Finlandiam vulgares sunt. Colliguntur autumno copiosissime, eduntur recentes, asservantur integræ per annum in cellis ligneis vasis aqua frigida modice rigatis, coquuntur in jura gelata & condimenta varia cum vel sine assaturis edenda. Ex his Lappones conficiunt suum Cappatialmos. Flor. Lapp. 143. vinum ex his præstantissimum cogunt quidam.

Vaccinium (*oxycoccus*) foliis integerrimis revolutis ovatis, caulis repentibus filiformibus nudis. Linn. flor. Suec. 335. (315.) *Vitis Idæa palustris*. C. B. Svecis Tranbär, Fennis Carpale. Habitat in paludibus steriliis sphagno vestitis frequens, in Finlandia copiosissime. Usus Oec. Baccæ peracidæ lubenter non eduntur crudæ, sed a succo presso & saccharo intersperso parantur variæ gelatinæ placidissimæ & saluberrimæ. Vinum etiam præbent.

Prunus pedunculis solitariis, foliis lanceolatis. Linn. flor. Svec. 432. (397.) *Prunus sylvestris*. C. B. Svecis Slän. Uplandis Stärckebär. Fennis seepu, Plomupuu. Habi-

Habitat in sepibus, pratis agrorumque acervis. In Finlan-
dia solum in maritimis spontanea. Usus Oecon. Baccæ
cum nucleis comminutæ Vino Gallico superimpositæ dant
rubrum colorem & gratum sporem & odorem svavissimum;
baccæ licet acidæ & austeraæ, tamen cum nucleis proxime
accedunt Persicis amarulentis. Vinum etiam gratum ex
iis, varia etiam eduliorum genera parantur. Folia tenel-
la in aqua cocta & macerata pro Thea usurpari possunt.

Crataegus (aria) foliis ovatis inæqualiter serratis
subtus tomentosis. Linn. Flor. Svec. 433. (398.) *Sor-*
bos domesticus. T. I. Svecis Oxel. Vulgatissima in Oe-
landia & Gotlandia, ubi habitat copiosissime; frequens
quoque in Finlandiæ insulis maritimis & ad pagos rusti-
corum est varietas hujus singularis. Usus Oecon. Baccæ
recentes maturæ cupidissime eduntur a ruricolis, maxime
gelu fractæ tempore autumni, plus nutrit, quam varii
alii fructus sylvestres. Ab his baccis in annonæ caritate,
potus, Vinum adustum & panes sunt. confr. Dresii de-
scriptio 2. arborum fructiferarum: Stockholmia, 8:vo.

Rosa (canina) caule aculeato petiolis inermibus, ca-
lycibus semipinnatis. Linn. flor. Svec. 441. (406.) *Rosa*
sylvestris vulgaris, flore odorato incarnato C. B. Svecis
Niupon, Törne. Fennis Orjantappura. Habitat in sep-
ibus passim ad margines viarum. In Uplandia vulgatissima.
In Finlandia quoque fere ubique.

Rosa (spinosissima) caule petiolisque aculeatis, caly-
cibus indivisis. Linn. flor. Svec. 442. (407.) *Rosa* sylve-
stris pomifera minor. C. B. Uplandis Smörniupon. Habi-
tat ad agrorum margines eorumque acervos passim. In
Finlandiæ quoque alicubi copiose. Usus Oecon. Utriusque,
postquam exempti sunt nuclei, a baccis siccatis & coctis
saluberrimum pulpamentum præcipue calculosis paratur: a-
lias quoque siccatae & coctæ in conditura Sacchari vel far-
tura

tura tortarum usitatæ, aut molitæ in panes convertuntur, tum semper bene sapiunt & alunt, & eximie reficiunt præcipue ægrotos. A petalis in umbra exsiccatis destillatur aqua Rosarum, quæ sæpe in cibis adornandis ob suam fvatitatem & vim salutarem usurpat. Salgama & conditura baccarum Rosarum in optimis est acetatiis.

Rubus (fruticosus) foliis quinato pinnatis ternatisque, caule petiolisque aculeatis. Linn. flor. Svec. 444. (409.) *Rubus vulgaris*, sive *Rubus fructu nigro*. C. B. Svecis Biörnbär. Dahleroënsibus Käringhallon. Habitat in maritimis Bahusia & ad Dahleroam & Landsort, in Finlandia non dum sponte crescentem observavimus. Usus Oecon. Baccæ crudæ bene sapiunt, vino impositæ edulcant vel fvius & dulcius reddunt. Vinum etiam dulcissimum ex iis fit.

Rubus (cæsius) foliis ternatis caule tereti aculeato. Linn. flor. Svec. 445. (410.) *Rubus repens*, fructu cæsio. C. B. Weßmannis Blåhallon. Habitat in dumetis umbrosis passim, in Roslagiæ agris frequens, in agris quoque Finländiæ, imo in antris, collibus & clivis. Usus Oec. Baccæ faves crudæ & conditæ. Vino immixtae edulcant.

Rubus (Idæus) foliis quinato-pinnatis ternatisque, caule aculeato, petiolis canaliculatis. Linn. flor. Svec. 446. (408.) *Rubus Idæus spinosus*, C. B. Svecis Hallon. Fennis Faderma. Habitat in agris & sylvis e lapidum acervis frequens. Usus Oec. Baccæ crudæ sunt gratissimi saporis præcipue Saccharo consperæ aut lacte commistæ. Ex succo espresso paratur vinum placidissimum vix ulli extraneo cedens, cum infunditur dolio recens evacuato $\frac{1}{3}$ vasis loco fermentationis relicta, mustum postea sponte & sapte 9. septimanis fermentescit, & tunc est paratum & idoneum depromtui in vase vitrea. Præterea baccæ conduntur varie variique robi & gelatinæ saluberrimæ & dulcisimæ ex iis fiunt.

Rubus

Rubus (arcticus) foliis ternatis, caule inerme unifloro. Linn. flor. Svec. 448. (412.) *Fragaria fruticans* Rudb. Norlandis Åkerbär. Ostrobotnienibus Wittikon, (non wikon, ut errore typographico legitur in Flora Svecica). Fennis mamurama. Habitat in Westrobotnia, Ostrobotnia & Angermannia copiose, in Helsingia & tota Norlandia, in Dale-karlia juxta Fahluniam rarius. In Finlandia hinc inde. Usus Oec. Hæ baccæ certe delicatissimæ & fragrantissimæ omnium fructuum Europæorum sunt, ideoque recentes & conditæ cupidissime eduntur, & quid unquam sapidius & svavius esse possit, quam hæ faccharo consperfa? Vinum Gallicum, si ei immixtuntur, tam impense edificant, ut de palma & principatu cum cæteris vinis præstantissimis certet. Vinum etiam omnium præstantissimum & gratissimum variis modis ab iis paratur, quod ab exterioris omni reliquo vino antefertur.

Rubus (Chamæmorus) foliis simplicibus lobatis, caule unifloro dioico. Linn. flor. Svec. 449. (413.) *Chamæruber* foliis Ribes. C. B. Chamæmorus Clus. Svecis Hjortron. Fennis Suomurama. Habitat in paludibus, turfosis sylvarum & sterilibus passim, in Norlandia copiosissime, sic quoque in Finlandia passim copiosissime. Usus Oecon. Baccæ crudæ eduntur maxima cum voluptate, conditæ in modiolis a Norlandia magna copia exportantur venales Holmiam & alibi, quæ ut jura gelata & acetaria mensis apponuntur. Obs. conditura harum baccarum optimæ fit, si baccæ eliguntur maturæ, & quibus calyx detractus est, coquuntur in olla stannea in tenuissimum jus gelatum, & postquam hoc gelascit, impletur eo vos figlinum aut modiolus prope ad trientem, reliquus locus duris & integris baccis supplendus, & superfundendum sebum liquatum, vel aliter baccæ ab aëris impetu custodiendæ.

Fragaria (vesca) flagellis reptans. Linn. flor. Svec.

450 (414.) *Fragaria vulgaris.* C. B. Svecis Smultron. Fennis Mansicca. Habitat in campis sylvestribus apricis frequentissime, in Finlandiae insulis præcipue & collibus ubertim. Usus Oecon. Hæ baccæ ubique sunt in deliciis maxime cum saccharo fuerint conspersæ, aut laeti vel vino immixtæ. *Fragariæ nostræ* sponte in locis sterilibus nascentes savitatem & dulcedine non modo iis, quæ in hortis coluntur, sed etiam *Fragariis* apud exterios crescentibus plerumque longe antecellunt. Obs. maximæ harum baccharum apud nos in locis fruticosis præfertim *Juniperinis* reperiuntur.

Corylus (avellana) stipulis ovatis, obtusis. Linn. flor. Svec. 873. (787.) *Corylus sylvestris.* C. B. Svecis Hassel. Fennis Sarapuu, Pähkinäpuu. Habitat in pratis & sepibus circa Aboam & in insulis Finlandiae copiose. Usus Oecon. Fructus vocantur avellanæ, h. e. nuces Coryli, quæ fere quotannis immensa copia apud nos crescentes carpuntur, franguntur & nuclei eduntur, certantque dulcedine cum Castaneis ac Amygdalis: varia fercula etiam ex his parantur palato & stomacho gratissima.

Juniperus (communis) foliis sessilibus mucronatis. Linn. flor. Svec. 915. (824.) Svecis En. Fennis Catava. Hæc per totam Sveciam & Finlandiam vulgatissima est. Usus Oecon. Ex baccis contusis & maceratis fit succus decoctus, vel potus persapidus, dulcis, salubris & sanguinem expurgans, sed acepsit cito & genua infirmat. Ex iis communiter quoque paratur pulmentum saluberrimum, sc. tribus cantharis baccarum bene purgatarum, succi plenarum & contusarum superfundendi 8. canthari aquæ fontanæ limpidissimæ, quæ utraque pars bene concoquenda, & 2. cantharis decoctis succus rudiori linteo percolandus & re-coquendus, atque iterum 2. cantharis decoctis, tenuiori linteo percolandus succus, & sic quoque tertia vice continuan-

nuandum, ut plus femicantharo non supersit, quod percolandum & in vase idoneo reservandam. Hæc gelatina facchari æmula quidem pro jentaculo usurpatur, sed debet esse medicina potius, quam cibus quotidianus. Ab his bac- cis quoque vinum adustum, sicut ab aliis fructibus fit. Baccæ Juniperi quoque apud nos eduntur recentes.

Acer (Platanoides) foliis quinquelobis acuminatis acute dentatis glabris, floribus corymbosis. Linn. flor. Svec. 924. (303.) *Acer montanum* tenuissimis & acutis fo- liis. C. B. Habitat passim ad domos & in pratis provin- ciarum Australium. Passim quoque in Finlandia copiose præsertim in Tavastia & alibi. Svecis Lönn, Fennis Wah- tera, Wehder. Usus Oecon. Ex liquore & humore hu- jus arboris fit tam Syrupus dulcissimus, quam saccharum copiosum, si vere premature gelidis noctibus & calidis diebus terebra cavatur foramen sursum oblique, cui affigi- tur canaliculus, sive tubus, ut humor per eum defluat in excipulum suppositum, postea coquendus hic succus in a- heno vel olla, despumandus & continuo agitandus, donec ita crassescat, ut tudicula circummoveri nequeat; deinde ex igne amovenda olla & agitandum continuo usque dum defervescat, & tunc rigescit Syrupus, ac concrescit vel coa- lescit in saccharum; hoc etiam aqua calcis in saccharum Carnariæ sublimari potest: Saccharum hoc illi, quod ab arundine saccharifera conficitur, longe salubrius est. Sve- ciæ Sc. Ac. Act. A:o 1751. p. 150.

§. III.

HArum, quas supra citavimus, specierum si non omnes, saltem pars maxima apud nos sponte & absque huma- na industria nascitur in locis sterilissimis & inutilissimis, in quibus fere nullæ aliæ plantæ possunt vigere. Contra

plantæ utiliores apud Australes loca optimæ, humum præpingvem curamque incolarum singularem plerumque poscunt, si læte crescant, fructumque optatum reddant. Arbores fructiferæ ab oris Australioribus olim ad nos delatae, utpote Malus Appeltrå, Pyrus, Párontrå, Prunus, Blommontrå, Cerasus, Kérfbárstrå, jam nostro climati tam asfvetæ sunt, ut multis in locis jam crescent sylvestres. Morus, Mullbárstrå, Vitis Wijnrankor, Iuglans, Wallndstrå, Persica, Persifertrå, Malus Armeniaca, Apricoser, Castanea, Castaniétrå, inchoarunt jam quodammodo perferre frigora & hiemem in Scania. Sic multæ arbores fructiferæ & sapidissimæ ex oris Meridionalibus ad nos translatæ in nostra Regione felicissime possunt propagari, & accidente arte possunt in hybernaculis nostris fere omnes plantæ exoticæ coli & vegetari. Sed e regione populi Meridionales majorem partem ex nostratis, quas supra citavimus, & quas natura Sveciæ & nobis proprias destinavit & domesticas, vix ulla arte & industria in suis hortis excolere & propagare possunt. Nec hoc reticendum, fructus plantarum nostrarum spontearum in bellariis usurpatos, atque in superioribus a nobis enumeratos, non tantum persalubres esse, sed etiam plurimos, si non omnes, eorum in morbis & febris ardentibus non modo sine noxa ab ægrotantibus edi posse, verum etiam iis medicinam sæpius in morbis periculosissimis adferre. Contra testantur Itineraria ac multiplex experientia plurimos fructus savorissimos terrarum Australiorum non modo caute & parce edendos, & vix unquam usum eorum in morbis permisum esse, verum etiam esu eorum homines non raro in summum vitæ periculum induci, cum morte sæpius finiendum.

§. IV.

IN re frumentaria neque nos exteris sumus inferiores; tot enim frumentorum genera suppeditat nobis natura, ut

ut plura vix in aliis Regionibus provenire queant, & quibus destituimur, ea aliis abunde compensantur; saepe etiam quibus nos abundamus, iis carent exteri. Si quoque plura praे nobis vegetabilia habet gens Meridionalis, ea tamen non semper tam sunt salutaria ac nostra. Sic inter plantas esculentas sativas apud nos provenientes. numerantur Triticum, Hwete, Fennice Niſu. Secale, Råg, Fenn. Niuris. Avena, Hafre, F. Caura. Fagopyrum, Bohweſte, F. Tattarniſu. Hordeum, Biugg, F. Ohra. Faba, Böna, F. Papu. Zea, Spelt, F. Taiwanohra. Lens, Linze, Grñi, F. Grñni. Pisum, Ert, F. Herne, cuius plures varietates possidemus, easque longe præstantiores iis, quibus Australes terræ gaudent. Rapa, Rosiva, F. Maurois. Brassica, Rål, F. Caali, hujus quædam varietates longe melius apud nos proveniunt, sapidioresque sunt, quam apud populos meridionales: Quæ cuncta in agris nostris tanta quotannis crescunt copia, ut vili saepissime liqueant pretio. Hortenses sativæ apud nos plures sunt, quam quæ in agris coluntur; Sylvestres autem, sive spontaneæ plurimam partem absolvunt. In Flora Svecica Nobiliss. Archiat. Linnæi per totam Sveciam cum Finlandia & Lapponia propriæ & domesticæ huic Regno numerantur plantæ diversarum specierum 1296. absque varietatibus prope infinitis. Harum aliae Oeconomicis, aliae medicis serviant usibus. Quædam totæ sunt esculentæ, aliae quarum radices tantum, aut folia, caules, flores, fructus, feminæ, succus sive humor & liquor eduntur.

§. V.

Creator noster sapientissimus omnes in genere plantas in sui Nominis gloriam ordinavit & nostros usus; in specie autem ita disposuit singulas, ut juxta speciem &

& naturam suam certis & peculiaribus servirent usibus. Sic certae sunt species, ex quibus esculenta, ex aliis potu-
lenta, ex aliis utraque adornamus. Abunde fatis & mira
varietate natura quotidie nostras mensas instruit & exor-
nat, imo calu necessitatis & irruente annonæ caritate defe-
ctum compensat aliis domesticis sativis aut sylvestribus vel
sponte nascentibus. Tantum penum & promtuarium instru-
etissimum nobis paravit, ut necessitatibus non modo, verum
quoque voluptatibus nostris satis sufficerent. Ab ejusmo-
di diversis & sponte apud nos provenientibus plantis di-
versa nobis paramus ciborum & potuum genera: nimirum
panes, pulmenta, acetaria, olera, asparagos, jura gelata,
clibanitas, condimenta in ferculis, juscula, coctas radices,
cupedias, facchara, cappares. Aliis fructibus vescimur
recentibus & crudis. Ex aliis vina & cerevisias appara-
mus, meliora reddimus & condimus. Aliæ loco Coffeæ
& Théæ sunt, nobisque longe salubriores quam exoticæ il-
læ. Oleum ex aliis quoque exprimimus, cui usui e syl-
vestribus Myagrum, Brassicæ species atque Sinapis aliæ-
que inserviunt; sicut in Flora & plantis suis esculentis
egregie nos docuit Nobilissimus Archiater Linnæus. Sic Pa-
triam nostram dulcissimam multarum & variarum prærogati-
varum exfortem minime reliquit Sapientissimum atque Beni-
gnissimum NUMEN, CUI Soli sit Laus in sæcula
nunquam terminanda.

F I N I S.

